

Beib. 9

XIV B MAY



ARGVMENTVM LIBELLI.

SIMON

HESVS LVTHERO OSTEN
dit caussas, quare Lutherana opu
scula à Coloniësis & Louanien
sibus sint combusta. Id ipsum enim
petit Martinus in libello quodam,
ubi rationem reddit facti sui. Nam
ob. xxx. articulos erroneos in
Papalibus libris inuentos
Ius Canonicum se in
flammas coniec
tisse scripsit.

Lege, & ridebis.



1588.

LECTOR NON PIGEAT TE IRONIAS HESSI
p̄legere, habes quo pulmonem exerceas, sic enim
Hessus Curiam defendit, ut si decem sint Hessi
Romæ propugnatores, breui perire fame
uniuersam Curiam necessum sit.



SIMON HES

SVS SACROSANCTAE SEDIS APOSTO-
lica Protonotarius, S. Pontificis familiae
ris, Domino Martino Luther, Do-
ctori Theologo S. D.



ERVENERVNT IN
manus meas articuli ex
iure Pōtificio, quos nū-
per Vuittenbergæ pub-
lice condemnatos com-
bussisti. Atque in fron-
te libelli petis, ut tibi as-
signentur errores tui, &
ratio condemnationis,
quasi S. Pontifex, cuius
uolūtas mihi pro ratio-
ne est, cui libet rationem

*Voluntas Pa-
pæ pro rōne.*

reddere debeat. Ego uero ut humilis Romanæ Curia
fautor, ex officio me facturum arbitror, si quā breuis-
sime, quod item tu fecisti, in singulis tuis articulis ostē-
dam quare sint condemnati, ne fontē iuris omnis Ro-
manum Pontificem, sine iure aut approbare, aut dam-
nare quicquē, posthac existimes. Quid enim iniquum
magis, quā sic sentire & loqui de eo qui Christi uicari-
us in terris ligandi & soluendi pro nutu omnia, plenissi-
mam habet potestatem? Sed ad tuos errores ueniam,
audi igitur Martine iusticiam Romani Pontificis, &
causas damnationis.

*Papa fons est
omnis iuris.*

Primo omnium contendis, Sacramenta nouæ legis
non conferre gratiam iustificantem, nō ponentibus obi-
cem? Quid igit aliud faceret Pōtifex quā fecit? Dam-

AD MARTINVM LVTHERVVM,

navit hunc articulum, ut protinus ab initio præveniret multa incōmoda S. Apostolicæ inde ingruentia. Bonus episcopus & speculator est Leo, statim prospexit quæ futura erant, & prudēter suspicatus est, ex hoc articulo sacramentorum contemptum oriri, quæ tam sancte à diuo Thoma in hunc ordinem erant digesta, quæ res non solum pietati Christianæ noceret gravissime, sed & sacrosanctæ sedis Apostolicæ emolumēta semel aboleret. Sunt enim sacramenta quædam S. Apostolicæ multò lucrosissima, cuiusmodi sūt Ordo, & Matrimonium. Quæ si uel tenuis suspicio oriretur in populo Christiano, non tantum gratiæ cōferri in his sacramentis, quantum præcones sedis sacrosanctæ prædicarunt aliquot sæculis, cōtemptim & irreligiose seruariet quicquid de matrimonio & ordine in iure Canonico, de impedimentis & affinitatum gradibus callide & utiliter est excogitatum, nec minima lucri portione fraudaretur sacrosancta sedes, quæ cum sit super Reges & Imperatores. C. de episc. & de utriusq; gladij maiestate formidabilis urbi & orbi ut ait Baldus l. rescrip. C. de præ. Impera. of. sumptus certe multo maximos ferre cogit, neq; id facile quibit, nisi ex quæstuosis dispensationis nundinis & Romæ licitis sacramentorū cautionationibus, uelut regio sibi census faceret. Neque hic mihi Apostolorū & primitiæ ecclesiæ sordes & tenuitatē obgannias, siquidē qui seruiunt altari, de altari uiuāt, qui spiritualia uobis tot bullis disseminat, num per te prohibebitur carnalia mētere? Tu iubebis primus Pontificem pascere gregem, & de lacte gregis non manducare? nunq; bouis triturantis os ligabis. Portionem presbyteris sufficientem assignat ius. c. extirpans de præben. quanto iustius ei decernit non portionem, sed totum, cuius auctoritate sacerdos est sacerdos? Magnum uero est Pontificem, qui

Sedes Ro. super
reges & Imperatores.

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

Christianis omnibus dat bene uiuere, ex eorum bonis uiuere: Ridicula res paupertas est Satyrico, quæ & summi Pontificis maiestatem eleuaret, & Turcis expugnabilem faceret. Atq; Romæ in primis non licet cuiq; esse pauperem, quâto minus Pontificem Romæ dominũ aut totius orbis potius, cum eum Baldus Imperatorem uocet, qui à nemine cogi possit. Iure igitur uides tuum hũc articulũ Ro. Curiaẽ tam inutilem damnari, ceu ininitium quoddam inauspicatum Romanæ paupertatis. Sensit nimirum cordatus Leo hãc propositionem originem esse, è qua paulatim Romani iuris despectus irrepit, & Pontificiæ sedis imminutio, atq; clades quẽdã Romanæ opulentie. Vide Martine quã parum tuto & utiliter sanctitati Romanæ consulueris. Cum igitur ut Romana ueritas testatur, omne robur scripturæ à pettorali Pontificis scrinio pendeat, infirmũ esse hũc articulũ quis dubitauerit, ut cui Pontificiæ autoritatis calculus nõ accesserit, neq; accedere ullo pacto possit, aut si maxime cupiat possitq; non tamen ferret hunc cõsensum Romana Curia. Quid Martine nasum crispas? necis Pontificem solum omnia iura habere in pectore, & si hæreticus est, medium tamen digitũ toti mundo porrigit, sacris canonibus id fortiter testantibus. *xxij. dist. c. quia traditione. Item. xxij. dist. c. præterea.*

Papã Baldus
Imperatorem
uocat.

Secundus articulus, In puero post baptismum remanere peccatũ adstruit. In. ij. uis fomitem peccati, etiã si nullũ adsit actuale peccatum, morari tamen animam à corpore exeuntem ab ingressu regni cœlestis. In quarto fingis quoddam purgatorium intra animam moriturũ & frigide diligentis. Hos tres articulos nõ iniuria damnauit Pontifex, cum sint contra Eccium, Romanæ sedis strenuum tutorem, bullæq; terribilis confectorem oculatissimum. Quosdã enim articulos damnari oportet.

Eccius tutor
Ro. sedis.

tuit in fauorem Romanæ Curiaë, quosdam in gratiam Eccii, sine quo bulla non esset rite cōfecta. Nā tria puncta ad huiusmodi bullā necessaria, Eccius non sine Peripatetico acumine addidit. Cur igit̃ tam bene meritum Romanum Curialem non honoraret Pontifex? adde q̃ Eccius ex uirtute obedientiaë, quæ est uirtutum fons Romam peruenit per mare, per terras, per mille pericula rerum, zelo Theologico correptus, quo tuā nouam doctrinam Pōtificis operibus cōtrariam supprimeret, quo facinore nunquam satis lauderit, quā tu Martine, qui in Septentrione degis, unde pandit̃ omne malum. Non uideo sane, quod nam malum atrocius tua doctrina accidere Pontificibus Romanis potuerit, quæ ex diametro cum uita & moribus Romæ pugnat.

Quintus articulus reiicit sententiam scholasticorum de tribus partibus Pœnitentiæ. Credebas Martine hinc taciturnam Romam, cui non solum Pœnitentiæ scholastica, sed uel pars eius minima nempe satisfactio loci amplissimi regni hactenus fuit. Angendę enim simplicium conscientiaë per satisfactionum carnificinas erāt, ut promptius omni qualicūq; Papæ Decreto obedirēt. Stulte uero obtendis, pœnitentiā sic instructā in sanctis patribus non reperiri, quasi minus auctoritatis habitura sit. Suspiciari me cogis hoc loco te malū esse Thomistam. Nā præter ea quæ de partibus pœnitentię sanctus Thomas conscripsit, satis tibi esse debebat Romani Pontificis auctoritas, nisi ignoras Papam errare non posse, si modo ignorare tibi licet, quæ tã blande duo propugnacula Predicatorii ordinis Caietanus & Syluester alter Cardinalis, alter olim Episcopus si uoluisset, palā tam audacter clamant, & Eccius tam pugnaciter cōtendit. Cadit itaq; ille articulus ante faciem Romani Pon-

*Satisfactio re
gni loco hactenus
fuit.*

*Syluester olim
episcopus si
uoluisset:*

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

tificis consensu Cafetani, Sylvestri, & Eccij tanquã hæ
 rericus, idq; duplici nomine. Quod enim triumuiui illi *Triumuiui scho-*
 scholasticæ Theologiæ damnarint, huic nec ipsa, si ue- *lasticæ Theolo-*
 lit, salus succurrerit, tum quicquid Ro. Pontifici displi *gus.*
 cet, merito hæreticum censebitur, postq; Baldus ut hu-
 milis osculator sanctorum pedum scripsit C. de præ. Impe,
 l. rescrip. autoritatem Papæ maiorem esse quã sancto
 rum. Papa, si nescis Martine, extra aleam iudiciorum est
 humanorum, ut qui supra hominis conditionem euro-
 lans, ipsis pene angelis minari sceptrum queat, omni iu-
 ri autoritatẽ tribuit, ipse nulli subiectus, xxv. q. i. Qui
 uos audit, me audit, Christus inquit. Et tu Christum in
 Pontifice regnantem, minantem, probantem, damnan-
 tem, omniaq; agentem non agnoscis solus, Si cor regis
 in manu domini, multo magis cor Pontificis. Quod igitur
 fugies à conspectu eius, qui uelut homo est cœlestis
 & angelus terrestris? Plus nimio sapis. Tuam in literis
 sacris sapientiam ultrices flammæ Prædicatorum mini *Prædicatores.*
 sterio consumpserunt, qui hoc nomine immortalẽ glo-
 riam merentur, quod ubiq; miro ingenio hæreticis ob-
 sistunt, & ne hæreses olim pullulent, magna uiruntur
 Græcitatem & linguæ Latinæ feruentia passim studia
 impedire. Palam est enim ex his studijs prodire homi-
 nes audaces, Thomæ, Scoti, & aliorum celebriũ Theo-
 logorum contemptores. Hi per linguarum cognitionẽ
 adeo curiose omnia rimantur in literis, ut audeant Tho-
 mam ceu errantem abijcere, cui uel in uerbo dissentire
 anathema est.

Sextum articulum forte Pontifex nõ damnasset, sed
 iterum. Eccio tatum itineris emenso gratificandũ fuit.
 Quandoquidem pro conscientiarum diuersitate nunc
 ab amore, nunc peccatorum detestatione ordiri penitẽ-
 tiam posse, nec ipse nego, at tu imprudẽter agis, qui pro

AD MARTINVM LVTHERV M,

batum iri quicquã credis Pontifici, quod Eccio displicuerit. Prudentiam tuã sicut in aliis plerisque, ita in hoc uno plurimũ desidero, qui nõ cogitas quanta sint Eccii in Curiam merita. Nam si decem forent Eccii, speraret Põtifex Sedẽ Petri in tuto locatã, quã nimis impie impugnatur à te, tuicq; similibus, qui liuẽtibus oculis Romanã Curiaẽ pompas Regales, diuitias Persicas, splendorem fortunã non sine dolore aspiciunt.

Septimum articulum, ut Ro. Pontificis censibus nocentissimum rectissime execrat Curia. Nã si ille mortaliũ animis infixus & persuasus hæreat, plus adiuuabit, quã ex Curia, sic enim cogitabit, nulla esse tam immania scelera, quã nõ condonatura sit immensa seruatoris clemẽtia, si adsit propositũ uitẽ emendãde, sic periret totũ negociũ contritionum, quod nõ ita inutile fuit sacerdotibus, presertim Romanis. Quo magis post confessionem a sacerdotũ presidio pendere se laicus crediderit, eo in eos erit beneficentior. Pacisces missas, emet contributiones, mercabit collectas, neq; plene remissa arbitrabit peccata, nisi numerosa sacerdotũ subsidia coemnum deum seuerissime supplicia intentantẽ, placari nõ posse, nisi sacerdotes ditet, tamen si crucẽ euãgelicã ferre paratus sit, sicut em̃ timor domini est initium sapientiẽ, ita timor sacerdotum est initium opulentiaẽ.

Timor sacerdotum. Octauus articulus, tibi Luthere non stabit, quãuis enim Romanis gratissimus sit, ut qui ipsi non perirent confessionem, si non me fallit tritũ Romã adagiũ, è Curia auunt tria asportari, Inane marsupiũ, conscientiam malam, stomachum malum. Verum non est ex re Curie sic respiscere Germanos, ut ad unguem ex-plorent, quid institutum, factumq; sit in ecclesia prima

Dolet Roma =
nis quod Ger-
mani respiscunt

tua

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

tura. Mallet Curia nos nihil præter Decreta Põtificum
nosse, atq; adeo multis seculis Roma, nostra simplicita
te freta, nostraq; obediẽtia sruauiter uixit, donec tu e Ses
ptentione exemisti noxiũ caput & quietem Romas
nam intempestiue disturbasti. Quod si in uenialiũ pec
catorũ, in circumstantiarũ, in scelerum filijs & nepotĩs
bus, inq; alijs prope infinitis scholasticẽ cõfessionis mo
lestijs passus esses occupari Germanos, nihil ocij fuĩs
set ad excutiendum urbis statũ, ad examinanda Pontĩs
ficũ facta. In timore & obediẽtia Pontificis perstitisset
populus, neq; unquã crassa alioqui Germania in tenuẽ
illam ecclesiasticẽ libertatis speculationẽ arrexisset ani
mum, nisi tu monitor nimĩũ diligẽs eò prouexisses rẽ,
ut pene in rebus fidei doctior uideri uelit laicus, quàm
ĩ, qui Pontificali mitra conspicui utriusq; testamenti
cognitionem habitu ostentant.

*Laici in rebus
fidei doctiores
hodie episcopis*

Nonus articulus, Martine intolerabilis est, non tam
Pontifici, quàm Theologis quibusdã, qui Modos cõfi
tendi mirabiles, scrupulorũ magistraliũ plenos & subti
les præscripserunt, quos non facile quilibet intellexerit,
ut mireris tanta hominũ ingenia, tam fœcunda, tamq;
acria in excogitandis nouitatibus. Næ tu igitur impu
dens qui ea postulas aboleri, unde immortalitas obue
nire auctori solet. Neq; enim tam utilitatis q̃ fame inter
dum ratio habẽda est, & tentãda uia, qua se quoq; poss
sit tollere humo & uolitare per ora uirũ, homo alioqui
in cellẽ umbra perpetuo obscurus. Quid quẽso exquisi
tius ea arte quã de purgandis conscientijs magistri nos
stri cõmenti sunt? Quis angulus, quæ latebrę, qui recess
sus cordis humani tam sunt abditi, quin illorũ ars pel
lustrarit, tam oculata, ut nulla impuritas uspiã illorum
Lynceos oculos suffugiat. Dum enim utranq; clauẽ sci
entiæ & potestatis manu gestant, nihil est tam obseratũ

in imo pectore, quod non aperiant, atq; hoc pacto purgāt omnia, & fiduciā homini faciūt integre dignitatis, nec quencq; de sua satis digna preparatiōe dubitare permittunt, sic ad perpendiculū metientes omnia, ut puritatem ad altare afferre doceāt hominem non asportare. Faceſſat igitur tua in liberū arbitrium diffidentia tā potens, ut naturalium bonorū uiribus ſibi parare puritatē cordis queat, priuſq; ſacerdotis abſolutio peccatorum nexus diſſoluerit.

Decimus articulus plane hæreticus erit, nec ulla uenia dignus. Quid ſibi uult hæc ſeueritas Luthere, quæ ſupra fidem nimis ſuperſtitioſe omnia ædificat, cum ſides, uirtus duntaxat quedam ſit, non ſupra alias, ſed eodem ſubſellio poſita, habeatq; functionem propriam, diſtinctā ab operibus aliarū uirtutum. Si tantū tribuis fidei conſitentis, quid relinquis poteſtati clauium tam arduæ, ut quicquid ligarit ſuper terra, ligatū quoq; habeatur in cœlis, & quicquid ſoluerit quocunq; modo ſuper terra, ſolutum illud ſit in cœlo?

Ad undecimū quoq; articulum facile reſponderim, qui totus magiſtroꝝ noſtrorū in Quarto Sententiarum opiniones peſſundat. Deſidero hic Philoſophiā Ariſt. in te, ſine cuius cognitiōe nemo abſolutus Theologus euaserit. Noſti opinor, actus actiuorū eſſe in patiente prædiſpoſito. ex. ij. de Anima. Cum autē abſolutio ſacramentalis gratiam conferat quæ mundat hominē, & gratia illa forma quedam eſt, plane neceſſaria eſt in anima ceu in materia in qua prædiſpoſitio contritionis ad recipiendā hanc formam, neq; ſine hac prædiſpoſitione ſuſciperetur hæc forma, proinde in contritionē ſpes ponenda eſt, & propter eam, ſperanda abſolutionis gratia. Hac magiſtrali determinatione irrefragabili corruiſit undecimus articulus.

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

In articulo duodecimo, nō te feret Pontifex eadē ratiōne qua in decimo. Noua enim hęc doctrīna est à trecentis & amplius annis nō audita, tantum posse fidem quantū ipse nūcquā non inculcas. Nihil unquē scholastici reppererunt simile, sic effers fidē, ut nō dubites eā fontē appellare salientē in uitam æternam, & tantū nō omnia huic uni uirtuti tribuis. Quæ si uera essent, quod tibi nequē Thomas, nequē Aristoteles, unquā dabūt, ociosam feceris ecclesiā, desides Christianos, dormitantē mundum. Sola enim fide contentus, paruifaciet uniuersam Ceremoniarū pompam, quo loco rursum non uides hominem incautissime, quantam iacturā factura sit Roma, quæ eo erit tutior, potentior, ditiorque, quo minus Christiani hanc tuam libertatem & fidei amplitudinem intellexerint. Atque cōtra Romanā ecclesiam uel hiscere in expiabile esto, cum orbis & ecclesiarum magistra, nō accipere ab alijs, sed dare iura consueuerit, & ordo præsterus erit, si tu mēbrū uelis capiti leges præscribere. Caput autē tuum & Christianorum omnium Pōtifex est Romanus, nisi Decreta mentiātur, quod quis ausit affirmare: cum sint simulacrum eius qui errare ipse nec uult (quā sanctissimus) nec potest, cum Christi in terris uicē gerat, & sit uirtualis ecclesia, Syluestro nostro locupletissimo teste, cuius tibi auctoritas uel hoc nomine grauissima erit quæ Thomista est, inuictus disputator in Aristotele, qui per magistralissimas rationes Thomæ non dubitauerit omnibus uel cōnotationibus Ockam uel formalitatibus Scoti bellum indicere, ut interim taceam eius in Curia Ro. existimationē. Accedit ad hęc ratio plane imperterrita, ut ut tu eā dissimules, Petrum omni Pontifice successore sanctiorem forte Ro. Curia dicet & gratijs personalibus copiosiorē, Verū quod ad ordinis & iurisdictionis clauem attinet, Leonem decimū

Nisi Decreta
mentiantur.

AD MARTINVM LVTHERVVM,

Leo Papa nō
est minor Pe-
tro.

Papa Impera-
tor, & Impe-
ratore maior

num libere affirmabit Petro non minorē, quinimo de iure posse quæcūq; potuit Petrus, de potentia spiritali iam loquor. Nam si ad terrenā uenero, iam tibi Pontificem nō ut piscatorē animarum humilē producam, sed alterum Imperatorem, & hoc Imperatoribus maiorem q̄ sola plumbi massa formidabilior est orbi, quàm ferro omnes Reges & Principes. Reges distringunt ferrum in corpora, necq; unq; ad animæ uitā penetrant, quæ potentia nō magnopere regia & magna est, siquidem & la trones gladijs occidere corpora possunt. Age iam Martine, Pape nostri sanctissimi potentiā accipe. Non solū ille potest ferro in nostra grassari corpora, sicut alij Reges, sed in ipsa animarū regna sceptro potentissimo penetrat populator, animas inuisibiles ferro imperuias, inuisibili fulmine transuerberat. Hoc uero est uincere, hæc est ampla potentia. Iam sentis opinor, te nimis crassum Theologum, nec Decreti mysteria, nec Thomæ distinctiones capere, alioquin ex hac duplici potentia, geminum item gladiū Pontifici tribuisses, corporalē, quo interdum hostes ecclesie Romanæ ab Italia Iuliano animo absterret. Spiritualem longe penetrantissimum & ineuitabilem, quo ipse in Petri sede quiescens, omnia mūdi regna territat, & infinita animarū milia uno prope ictu transfigit. Iam & gladium Alexandri Magni, aut inuentum Germaniæ bombardariū tonitrua cū Pape uel fulmine, uel gladio confer, & uidebis quàm iniqua sit collatio. Imperatores uix unam & alteram terræ partem sua ui subigunt, & subactam possident. In corpora ius habent, non in animas, in uiuos seuiunt, nō in mortuos. Papalem potentiam formidat orbis uniuersus. Antipodes etiā triplicis coronæ amplitudinem uenerantur. Inferi, inuisibilis potētiae fulmina tremiscūt. Viui ad Pontificiæ Bullæ umbram & crepitum stupe-

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

scunt. Mortuorū umbræ eius late patentem uim nusq̃
 suffugiunt. Si formalis esses Martine & assuetus ad sub
 tília magistrorū Corollaria & argutias ingeniosissimas,
 hic unum tibi Corollarium ex media Theologia Syl
 uestrina proferrem. Dicam tamen. Si non intelligis, ut
 es nimis incredulus, mirabere saltem. Infero igitur ex
 supradictis hoc Corollarium. Summus Pontifex, quē
 tu nimis superciliose episcopum uocas Romanum, est
 de iure Romano & de facto maior, potentiorq̃ omni
 bus regibus & Imperatoribus terræ, & uidebitur etiam
 maior Christo & angelis eius, & si in cœlum plenā po
 restatem haberet, esset iam summus in cœlo, in terra, &
 in inferno. Prima pars Corollarij patet ex. c. Clerici. de
 iudi. c. de iudi. c. si dili. de fo. compe. c. i. de. no. op. nūc.
 Et Ambrosius ait in Pasto. Nihil sublimius episcopis
 reperiri potest, & est consensus totius ecclesiæ Ro. om
 nium Cardinaliū, paucis nimis superstitionis exceptis,
 & omnium officialium in urbe, id est datarij, & omniū
 eorum qui iam habent officia Curix, uel olim empta,
 uel emēda. Nam ingenia Romanistarū in artibus illis
 extorquendi a turū à Barbaris mire acria sunt & felicia,
 & nunquam deficiunt. Vide quantam turbam contra
 te proferam unum neq̃ admodum diuitem, ut uel no
 minum splendor, uel opum magnitudo te pauperculū
 terrere debeat, ne tam animosus cōtra Curix praxes in
 surgas. Secunda pars probatur multo subtilius, quā
 ut ullum ingeniū Vuittembergense possit assequi, quia
 nolunt Vuittembergenses ingenia acuerē cote sophis
 matum, ideo nihil intelligunt supra Euangelium, Pro
 phetas, & epistolas Pauli. Christus ipse in Euangelio te
 statur, regnum suum non esse de hoc mundo, sed regnū
 Papæ est de hoc mundo. ergo Papa est potentior & ma
 ior Christo. Maior est uerissima, quia ipsa ueritas Chri
 sto.

*nisi si habere
 sub p. p. an. habere
 Papa maior
 Christo & an
 gelis.*

*Papa est maior
 potentiorq̃ Chri
 sto.*

stus loquitur. Minor probatur per donationē Constantini liberalissimam, per ius Canonicum, per diuturnā consuetudinem, quæ habet vim legis, præsertim si est bona, sed ibi optima est, quia orta à summo Pont. optimo, à bono non nisi bonum, qualis arbor, talis & fructus. Item ipse extendit pomeria iurisdictionis usq; ad inferos, & in purgatorium, ut testatur Ioannes Angelus Parisiensis, qui palam dixit, animas in purgatorio existentes esse sub iurisdictione Papæ, & si uellet, posset purgatorium euacuare. Et quæuis Theologica facultas Parisiensis conluserit hanc propositionem esse de errore suspectam, neq; publice prædicandā, satis tamen roboris habet, si uel Caietano Thomistarū coryphæo, uel Syluestro Prædicatorū principi placuerit. Et miror uehementer cur Theologi Parisiensien. conent tam temerarie contra infallibilē regulam fidei Ro. Pontificem quicq; statuere, cum solus Pontifex ex iure Romæ factus id est uniuersalis ecclesiæ habeat potestatem scripturas pro se interpretandi, & nō contra se, quia cum ipse sit Vicarius Christi, & Christus sit ueritas, si quicq; contra se staret, idem cōtra propriā uoluntatem, ergo contra ueritatem ageret. Semper igitur & in omnibus debet suam propriam uoluntatem sequi, quæ (teste Decreto Romano) non potest errare. Ex quo iterum habes pontificem omnibus apostolis esse maiorem, nam illi errare potuerunt, & ad minimū uenialiter peccare, ut in Petro iudai fante probat. Papa autē nunq; potest errare, ita em̄ magistratraliter ostendunt Caietanus & Syluester, id est ueritas historiæ. Quid em̄ illi nō comperti scriberent, cum recubuerint supra pectorale scrinium Papæ, unde tam acutas doctrinas suxerūt? Nunc Martine mi, ut uideas Thomistam esse Corollariorum & ingenij plenū, aliud audito Corollarū, Vuitenbergæ neq; intellectū sane,

*Ro. pōtifex est
infallibilis re
gula fidei.*

*Papa maior
Apostolis.*

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

neq; reuerēter acceptū. Officialis aliquis potest esse po-
 tentior suo principe, quod est mirum, & seruis potest
 esse maior domino suo. Hoc est sapere, hoc Theologi
 Vuitenbergē, qui nihil noscunt, præter Christum, &
 hunc crucifixum, nō intelligūt, quia intellectum nimis
 humiliter captiuāt in obsequiū Christi, simplici fide cō-
 tenti. Habēt ex Euangelio, seruum nō esse maiore dño,
 quod ipsi candide & simpliciter credunt, neq; tentant
 sua ingenia, an possint hic līmitationes illius textus in-
 uenire, & aliquid subtilius comminisci, q; si more Tho-
 mistarum essent curiosi, & nō cōtemnerent Aristotelē,
 tunc subtiles, & inuentiui euaderent, ut nulla ueritas in
 Euangelio tam simplex & solida inueniret, contra quā
 non Aristotelica arte aliquid pbabiliter & pene demon-
 stratiue clamare possent. Laudandi sunt Colonieses &
 Louanienses, qui summam eruditionem in disputādi
 pugnis Aristotelicis ponunt. Proinde si uspiam hæreti-
 ci insurgerent, hæ uniuersitates implorandæ essent, ut
 hæreses aut syllogismis ad palinodiam adigerent, aut si
 illud non possent, Inquisitoria auctoritate fortiter com-
 burerent. Sed quid hæc subtilia ad Martinum, Theolo-
 gum nimis euangelicū & Paulinum? Consulte fecisses
 xij. articulū tacendo, cū nouitates plerūq; discordiā pari-
 ant, & in uulgo tumultū, c. cum cōsuetudines. & in. c.
 firm. extra de consue. Ideo singulari prudentia hic cohi-
 benda tibi lingua fuisset, ne ceremoniarū apparatus per
 immodicā fidei cōmendationē periculose detraxisses,
 & quæ ad uitam sacerdotum splendidam cōmoda sunt
 repente subtriuisses.

Colonieses.
Louanienses.

Mart. Luthera-
rus Theologus
Euangelicus &
Paulinus.

Tredecimo articulo, nō simplici & elementari igne,
 sed tartareo hic rogi instruetur. Quoniā semel uniuersam
 Romæ substantiam subuertisti. Vbi manet Iurisdic-
 tio antistitū ecclesiæ? ubi ordo? ubi obediētia? nescis

rursum in circumspectissime Martine, quam quaestuosum sit poenitentiae negotium Curiae Romanae, & huc, ni fallor, spectarunt tot Modi confitendi anxius preparationibus pleni, egregie ad poenitentiae quaestum excogitati, ne ecclesia dei in magnam euangelij probrum sit inops & mendica. Sic restringere iurisdictionem Ecclesiasticae potestatis, casuumque reservationem, quae ad timorem plebis plurimum habet momenti, est summa imis, imma summis confundere, & subtiliter sanctissimi domini aeriū deplere. Tandem auctore Martino ecclesia, quae mysticum corpus est, sine capite erit, monstrum erit. Nec simplex est Lutheri error, siquidem, qui membrum ledit, ob intimam omnium membrorum & mutuam dilectionem, totum ille corpus lesisse putatur. Quid dices igitur, si caput leseris, a quo uis omnis & uigor membrum influat, in quo totius corporis custodes sunt uigilantissimi, nempe sensus? Tolle ergo Pontificis auctoritatem super ecclesiam, ex hoc corpore oculos, aures, gustum, tactum, olfactum sustulisti, id est totum corpus pessumdediti. Huc Martine tendunt quae scripsisti hactenus. Parce quae so ecclesiae, ne sine capite, hoc est sine auribus & oculis surda, & caeca denique sine omni sensu stupida pereat. Ad te pertinet eius uel perditio uel salus nisi nolis esse membrum, aut aliam habeas ecclesiam, aliud caput. Certe si manus cibum porrigere nollet ori, os manducare in perniciem uentris recusaret, & ad hunc modum reliqua membra aduersus caput conspirarent, Aesopica fabella te admonuerit, quid sit futurum, neque opinor Papam nostrum caput uersaueris. Nam quemadmodum ex capite uigor in uniuersum corpus dimanat, ita ex Papa ceu capite, uel si manus corde, fluit in ecclesiam magna uis indulgentiarum. Quin tu mysterium mystici corporis rectius expendis & inuenies, Papam non solum esse caput, sed pene etiam omnes

sensus

sensus, & mēbra illius corporis. In corpore uero singula membra suum pensum solunt, laborant, quę caput præscripserit. In corpore mystico, Papa solus mēbrorū omnium officia exequitur, ut interim secure stertant singula, dum remittit eis omnia opera quę facere ex debito poenitentię cogent. Orandū est tibi ex mandato, tuęda uirginitas ex uoto. Papa omnia illa remittit, nec quicquid eorū facere cōpellaris, quę uel ratio propria dictauit uel iussit sacerdos, quid hoc aliud est, quā papā omnia per se facere ut membra quiescant inertia. Qua fronte igitur tam bono capiti obstrepunt membra in gratissima?

Decimumquartū articulū ex pacto comburit curia, in hoc enim arbitramur scholasticos Theologos in præsidium Papæ Romam accersitos, ut argutijs defendant, quod alioqui parum recte factum uideretur. Dixit igitur Curia scholasticis. Probate uos mea argumētis, ego uestra ne corruant, fulciam auctoritate. Quod pactū ubi semel interuenit seruatum oportuit, cum uel hosti fidē seruandam esse docuerint Ethnici.

Idem sentio de articulo quindecimo, quē ui eiusdem pacti ignis absument, ne scholasticorū in præparatorijs illis uigilię deleant, & contra sui fiduciam, plus nimio tribuatur fidei, quā unam sic ubiq; prædicas, ut solam uideare salutis nostrę alpha & o constituisse nō sine cæterarum uirtutum grandī iniuria.

In articulo xvi. nihil ulla disputatione opus est, quid egemus testimonio? Blasphemasti, qui sanctissimis Papæ auribus inuisum Boemorū nomen inculcas, centies hæreticū te Roma uocat, centum rogis te iniiciet. Artē enim à Scotistis didicit, qua in centū simul locis idem corpus esse potest. Væ igitur cuti tuę, carni & ossibus, sic in te frendent iam inquisitores, ut atomos etiā cōbusti

Lutheri usq; in Epicuri intermundia sint persecuturi. Quamuis em Primitiua ecclesia utranq; speciem hominibus dederit, arbitrio tamen ecclesiae, aut potius papae qui est omni ecclesia & concilio altior, unam duntaxat speciem danda laicis, decretum est. Vtinam non uideris ses tot priscos ecclesiae doctores, & supra Decreta Romana nihil sceres, ne tot seculis obseruatae paparum sanctiones tam fortiter a te expugnarentur.

Decimamseptimam propositionem ceu alimentis Curiae aduersissimam in fauillas abire cum reliquis oportet. Nam si populus rescuerit indulgentias non depromi ex opulentissimo illo meritorum Christi aario, ab emendis indulgentiarum bullis mire abstrahetur. Bonum igitur opus impediatur, dant enim elemosynam egenti Curiae simplices ex praeepto euangelico. Hi sunt certe pauperes, quos semper nobiscum habebimus, quibus largiendum est, ne egeant. Quem uero tu fingis thesaurum, unde amplissime condonationes exhauriantur, si alius est quam merita Christi, finitus est, ergo deficiet. iam metuet plebs iam pridem defecisse exhaustum, praefertim sub pontificibus tam largis & profusis, rursus diffidentia orietur. Si merita Christi hunc thesaurum faciunt, eaq; infinita sunt, secure quotannis effundet quantum uolet. Papa, & emax uulgus, quantum libuerit emet, neque unquam timebit penuriam. Pulchrum itaq; certamen uidere licebit, largissime sine mensura & pondere effudentis Papae, & tumultuosissime ementis plebeculae in rem Curiae non inutiliter superstitiose. Illud autem demiror, illa te fugere, quae tam confidenter solennis schola Parisiensis, docuit, Pontificem utpote ex thesauro ecclesiae, qui ex merito Christi & omnium sanctorum colligitur, ubertim elargiri indulgentias non unciatim aut libratim, sed effusissime. Scribunt enim scholastici,

SIMONIS HESSI RESPONSIO,

sanctos multo plura mala passos, quàm eorū cōmeruerint peccata. Hæc merita uoluerunt formaliter uel uirtualiter nobis indulgentiarū cupidis applicari, & Pontifex Romanus uelut superior questor, illa merita formaliter nobis applicat, dū ad Germanos mittit præcones indulgentiarū, ut anno superiori ad Heluetios quendā Sansonē misit Minoritam, qui illa merita liberaliter applicans, in tertio gradu dispensationes paruo uendidit, & animas ex purgatorio per interpretem euocauit. Ex qua prouincia quāuis ingentē pecuniam & argentearum mensē suppellectilē secum Mediolanū abuexerit, nullā tamen satis dignam uicē recepisse creditur, cū in nundinis illis nulla sit satis æqua cōparatio spiritaliū ad uisissimos nummos, quibus nimīū oneraret Germania, nisi quotannis applicarent nobis residua sanctorū merita, quibus ipsi iā nihil egent. Quo loco te fraternaliter admoneo, ne ob hanc cōmutationē, simoniæ mihi uocabulum obsoletū superstitiosus obijcias, non enim derunt Heluctij ducatos illos pro spiritalibus illis bonis, quemadmodū equos emimus aut asinos. crassa est hæc imaginatio. expenduntur pecuniæ inquantū ordinantur ad spiritalia. Papa plenitudinē habet potestatis. proinde potest indulgentias elargiri per totā ecclesiam militantē, & tantas, quātas uult. Secus uero iudicade alijs Prælati, qui potestatem habent limitatā extra de poeni. & remiss. Germanos autē synceriter præ cæteris diligit, id quod conijcere potes ex cōmutatione illa indulgentiarū sæpius apud nos facta quàm apud alias nationes. Diligit nos mirum immodū Papa ob simplicitatē natiuā, & diligit ex uisceribus charitatis. Pater certe filium diligit, quē sæpe uisitat, sæpe ad uirtutem hortatur. Papa nos diligit, quos semper uisitat. & tenere poenas quibus toties tot annorū millia remittit, toties poenas

F. Sanfon de Mediolano.

Germanos Papa diligit, quia sæpe uisitat per indulgentias.

AD MARTINVM LVTHERV M,

Nota bene.

ab nōp...

...

prope innumeras per suos indulgentiarior condonat. Neq̄ ulla re perinde cruciat atq̄ illa morū mutatione, qua ex indoctis docti, ex simplicibus prudentes, ex cæcis oculati, ex prodigis parci, ex obedientibus cõtumaces facti, colla Romanæ potestatis iugo subtrahere incepimus.

In articulo decimo octavo, & si nihil aliud scripſisses unquam, cõmeruisti omnium in te elementorum perfectionem. Non feret terra tam inutile pondus Romanæ leuitati. Non fouebit aer hîc cõmunis hanc animã Romanæ ecclesiæ tam noxiam. Aqua procellas & uoragines minatur. Ignis strenuus hæreticorū ultor iam crepat in tui perditionem, adeo tibi Martine mala omnia conſtaſti, poſtq̄ nimis sapiẽdo quàm uellet Roma, ſecreta Copiſtriæ in prophanum uulguſ inconsiderate diſſeminati. Melius eſſet Curia Romanæ te Paulū & Euangeliū nuncq̄ uidiſſe, quàm ſic curioſe in eo philoſophari, & adamuſſim explorare quid liceat, quid expediat, & uelut filo metiri qualitatē & quãtitatem indulgentiarq̄, & quod ſtupeo, homo male Ariſtotelicus, nulum tamẽ prædicamentum obmiſiſti, in quo nō indulgentias quæſieris, in ipſa etiã Metaphyſica diſquirẽs qd ſit illud, quod tam celebriter ubiq̄ excipit, tam prodigaliter erogatur, tam magno emitur, tâto ſtrepitu defenditur, tot campanis præ euangelio cõmendat. O ſceluſ, & ſi maxime intelligeres indulgentias priuationē potius rei eſſe quàm rem, nō expediebat tamen illud in uulguſ ſpargere, quod cõſtantiffime hætenuſ credidit inuulgentias Romanas theſaurū eſſe gratiarq̄, ut eſt hebeti ingenio. Vnde munera gratiarū magna mole, nō parce, ut alias, & unciatim diſtribuantur bene nummatis. Quod ſi intellexerit à pœnis dũtaxat ſe abſolui, nec omnibus, ſed papalibus, uide quàm nobis Tragœdiam, cõ

SIMONIS HESSI RESPONSO.

citatis illudum se queretur & expilatum. quod ut maxi-
 me uerum sit, ad pacis tamen stabilitatem inutilissimū.
 Quid tu ad tot stationes Urbis? simili ratione displi-
 cebunt. sed non prudenter agis, nō omnibus illa paran-
 tur. Quocumq; tandem modo uigilans ecclesiæ pastor
 animas lucrifecerit nihil refert, modo lucretur. Sūt quis-
 dam diuitijs sic onerati cæcaticq; , ut ad restitutionē ma-
 le partorum, ad ueram poenitentia, ad relinquenda bo-
 na, ut cōsulit Euangeliū, nulla uī aut arte compelli alli-
 cīq; possint. Quid hic facies, ne illorū animæ spīs illis
 irretitæ in tartara descendant? Stationes Urbis sunt eri-
 gendæ, & mellitissimis pollicitis ad qualemcumq; poe-
 nitentiam, uel ueram uel fictam, obdurati sunt illicien-
 di. Qui si audierint tot gratiarum millia, unius plateæ,
 aut angiportus transitu se cōsecuturos, in spem erigun-
 tur, qui alioqui desperationi proximī erant. Sic paulat-
 tim assuescunt diuitias relinquere, sibi subtrahere, adde-
 re sacerdotibus. O mirum ingenium quicquid hic Ger-
 son garriat non moror, siue Sixtus quartus, siue alius
 quispiam inuenit, palmarium habet, ut belluini homi-
 nes his illectabilis ad sanitatem mentis pedetentim res-
 redeant, quos alioqui nullum uerbū dei, nulla uis, nulle
 minæ, ad poenitentiam cogerēt. Huic animarum lucro
 ingeniosissimo tu obstrepis Martine? Atq; ut peccandi
 materia, diuitiæ, à male uttēibus, Germanis auferatur,
 ut ad euangelicam ueritatē paratiores expeditus Chri-
 stum pauperem sequi possint, Stationum illarū ineffa-
 bilis liberalitas ad nos mittitur, affigitur parieti scheda,
 ubi manus picta omnīū peccatorū remissionem, Crux,
 animæ ex purgatorio liberationem significat. Quis un-
 quam desperationi locus est in illo indulgentiarum im-
 menso mari? Iam uides opinor, quod nunquā in euan-
 gelio & Paulo inuenisti, Indulgentias malo omnīū ma-

AD MARTINVM LVTHERVVM,

ximo & terribilissimo mederi, nempe desperatiōi. Nullus erit tam perditus leno, nulla tam effrons meretrix, nullus tam illaqueatus mercator, nemo tam crudelis latro, nullum Romæ tam prostitutum scortum, breuiter nemo tam alienus à Christo, qui non indulgentiarum buccinis ad pœnitentiam & spem excitetur. neminem sinunt desperare. Auditis enim tot millibus dierum & noctium carenis, quadragenis, & chiliadibus, non solū non desperat peccator, etiam si in profundum uenerit, sed in ipso proposito multos adhuc annos peccādi, hoc sibi asylum tutus fingit, quod perditō filio prodigo, nūquam non patet Romæ, & iam aliquot annis nunquā non patuit Germaniæ. Illa tanq̃ subtilia non te docuit Paulus, cui unī tamē plus fidei quā Scoto & Thomæ dedisti, in eamq̃ imprudentiam es prolapsus, ut incauta ueritate pene omnes omnium hominum ordines in tuum caput cōcitaris. Verum age proponam tibi ante oculos triumphī inimicorum tuorum effigiem, ut uel hinc resipiscas, & ad cōmunem huius mūdi sensum redeas. Primo omnium Carmelitæ & Prædicatores congregūt ligna, ut sunt gloriosi hæreticorū oppressores. Minoritæ calopodia addunt sulphure cōspersa, quo citius tibi ignis tuum nimis lætum & alacrem spiritū ex corpore soluat, ne ueritatem post hac dicas. Idiotæ sacerdotes in perniciem tuā conspirarunt, qui cum hactenus superstitiosis ceremonialis rem egregie auxerint, nō sine uentris tormento lucri imminutionem sentiunt, & muliercularum resipiscētiā, quarum antea freti superstitione, sūrauem & delicatam uitam uixerunt, iam fame perituri. Accurrunt ecclesiarum antisites, præpositi, decani, custodes, cæteriq̃, quorum nomina scripta sunt in libro Datarij, hi timent sacerdotijs, quæ partim ingenti pecuniā, partim malis artibus Romæ consecuti sunt.

*Nota periculū
ex indulgētis.*

*Triumphus ad-
uersariorū Lu-
theri.*

Carmelita.

Prædicatores.

Minorita.

*Sacerdotes in-
docti.*

Prælati.

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

Frendunt in te Curtifani irrequietum hominū genus, *Curtifani.*
 & patientissimum. atq; ita frendūt, ut si nullus sit latro,
 qui in te gladium distringat, ipsi soli laqueis & gladijs,
 alijsq; tormentis sint ad necem iam instructissimi. *Notat. N.* Qui
 cunq; sine Curia uel inglorij uel inopes uiuerent, tuum
 sanguinem sitiunt. Et si non raro Pilatus innocentiam
 rei considerans, liberationis causam quærat, ne tamen
 ab honore dimoueat, cōtra conscientiam propriam,
 lotis utcunq; manibus, in tuum caput sententiam intor-
 nat. Mercatores, quorū usura defensoribus quibusdam *Mercatores.*
 Thomistis & Scotistis, satis tuta & quæta hæcenus fuz
 it, à te primum nimis manifeste picta & exagitata, illi
 inquam mercatores laqueum, gladios, eculeum minan-
 tur. Audires Crassos illos crassissimos miro supercilio *Diuites.*
 tibi in conuiujs inuidiam mouentes, & filios huius se
 culi uersutos & callidos, suos cōtractus, sua scelera pha-
 leratis uerbis, detorto interdū ad hoc Paulo, argute de- *Laici.*
 fendentes. Ad hæc Laici, quorum nullus non antehac
 tuum nomen ueneratus est, uel operam suam addent,
 uel læti spectatores ignem circumstabūt, grandī tua mo-
 ti iniuria, nam cum in matrimonio nimis superstitione
 debitum expendis, frigidis & male calceatis limites po-
 nis, quos non facile attingent. Mulieres te utcunq; trues-
 buntur, quarum insatiabili libidini non male consului
 sti. Illarum improba Venus ea est uiuacitate, ut nemo
 uirorum non impotens sit futurus mulierum censura,
 quippe qui nō facile par erit mulieris cupiditati. Tum
 impotentiam uel ueram uel falsam causabitur, ut libis
 dinandilicentiam obtineat. Quotusquisq; mi Martine
 iam potens iudicabitur, si huius rei p. nes mulieres sit
 iudicium. Zelotypi igitur qui non sanctimoniam rei cō-
 siderāt, cuius typū gerit matrimoniū, sed cupiditatis sa-
 tiadæ curā habet in te saxa, tela, gladios, ignes, sulphur,

AD MARTINVM LVTHERV M,

Reus est mortis. fulmina, & nihil non torquebunt. Nō egemus testimo-
 nio, reus est mortis. Quod si qui supersunt paulò corda
 auctores, uel spectatores, conuincunt tamen, hos enim
 male habet nimia tua loquendi libertas. Sunt enim qui
 à te nulla re magis alienantur, quàm maledicentia tua,
 qua tu neque infimis neq; supremis pepercisti, trahi te
 dicunt adfectibus, non duci ratione, quod in uiro qua-
 lis tu esse cupis, graui & aliorum imo orbis censore sa-
 tis indecorum putant. nihil si patientur in te humani, &
 si ipsi adfectuum sint mancipia, ferrent utcūq; te, si Stoi-
 corum sapientem imitatus, & $\alpha\alpha\theta\delta\eta\zeta$ esses, qui scriberes
 quidem uerum citra ullam hominis in te significatio-
 nem, citra adfectuum argumentum, qui sane tantarum
 rerum non certi iudices sunt. Rursum apud quosdam
 non damnareris, si latine monuisses orbem. Quidā ne
 sic quidem uiuere te patiētur, ut qui erronea scripseris.
 Non parum multis non satisfacisti, qui paradoxa tua
 Scholasticorū auribus insueta strictioribus quàm opor-
 tuit, punctis absoluisti. Nam si maxime te boni doctiq;
 omnes intelligant, uulgus tamen, quod facile offendit
 tur tam nuda nouitatum tuarū narratione non docetur
 ueritatem, sed prauis inficitur opinionibus. Siue igitur
 tu scandalum præbeas, aut uera moneas, non tamen fe-
 rendum te cēsent hoc potissimum nomine quod lacto-
 potæ in fide offenduntur. Non curant illi, qd̄ Christus,
 qui recta docuit, scandalum non dedit, satis est illis, qd̄
 Iudæi sunt scandalizati, moriatur deniq;. Si ex illorum
 quos recēsiui, manibus eripereris, actum tamen esset de
 uita tua, adeo passim rabiosa silentia mandunt Scholaz-
 tici Theologi, quorum alius præter Scoti sententias &
 Quodlibeta nihil legit unquā. Alius Thomæ summas
 duntaxat imbibit. Sunt item, qui præter Lyræ cōmentarios

*Non patientur
 in Luthero ali-
 quid humani:
 cum tamen om-
 nes homines si-
 mus.*

*Theologi scho-
 lastici.*

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

tarios nihil attigerūt sacrarum literarum, Hi uero cum
 uel celebres iam habeantur concionatores, uel ordina-
 rij Gymnasiorū famigerati, nō patient̄ nihil esse, quæ
 tantis didicerunt impendijs. Intelligunt fortasse, quam
 friuola & inutilia didicerint, non possunt tamen nō de-
 fendere quæ didicerunt, ne nihil scire uideant̄. Ad hunc
 modum nullum est tibi Martine asylum in quod cōfuz-
 gias. Boni si qui sunt & docti, tueri quē uellent, nō poss-
 sunt, quippe qui plerūq; pauperes sunt eoq; uulgo con-
 tempti, nec magnæ auctoritatis, cum hoc tempore do-
 cti iaceant, indocti ad summos apices rapiantur. Adde,
 quod bonorū paucitas tantæ insipientium multitudini
 impar tacere cogitur, non tam quod uitæ suæ metuat,
 quam ne recta monendo nihil proficiat. Quod si prin-
 cipū archigrammateos, & adultores tibi infensos red-
 dideris, peristi. Nihil enim tam rectum est, quod illi sy-
 cophantijs suis apud principes nō suspectum reddant,
 præsertim ubi aureis machinis oppugnantur. Id quod
 opinor, sensisti nuper imprudentissime hominū, cū nō
 regio, sed adulatorū mandato libri tui in duabus Vni-
 uersitatibus flāmis pœnas dedere temerariæ ueritatis.
 Accedit ad hæc hominū incōstantia, qui hodie te tuaq;
 tuentur pugnaciter, cras Pontificum aut Cardinalium
 munificentia donati, sacerdotijs aut preposituris, tacēt.
 Sic inescantur & cæcantur etiam boni & docti, quibus
 uinculis ligantur eloquentium linguæ, ut argentangis
 na laborantes aut nihil loquantur silentio longe lucros-
 sissimo, aut loquantur quidem, sed ad gratiam omnia.
 Ut demirari nō fatis possim, quid tibi acciderit uni, qui
 constans esse uis in tanta hominū mutabilitate. Nam si
 tecum ipse reputares, quanto uendere tuum silentium
 posses, confestim tam diu te locutum fuisse pœniteret.

Nota.

Boni & docti.

*Secretarij Prin-
cipum corrup-
puntur pecunia*

*Lutherus pos-
set silentiū suū
magno uendere*

& bene nūmatus esse possis, frena imponito furenti calamo. Illa cum nec intelligas nec cures, miraris tamen cur tua cumentur, & incendiū scilicet tam iusti causas petis?

Indulgentiæ tantum ualent quā tum sonant.

Decimum nonum articulum, ut Romanarū aurium offensiuum, imò pontificiæ maiestatis lesiuū nemo ferret. Quid expedit sic efferre Christū, ut Pontificis apud homines auctoritatē minuas? quod tamen fieri nō sentis, cum uim indulgentiarum non sinis abolere, & tollere omnem culpam & poenam? quod tam magnifice Curiales Bullæ pollicentur. Indulgentiæ enim tantum ualent, quantum sonant, clauē non errante. Sonant aut magna, ne dicā maxima. Et discē Martine, clauē Romanam errare haudquāq; posse, siquidē (Scoto Theologorum theologissimo teste in dis. xviij. quarti) clauis tum errat, quando nō exacte circūstantias rei, de qua est iudiciū, expendit. In bullis uero Romanis adeo cautelis, circūstantijs referta sunt omnia, ut omnia Iuristarum ingenia huc impensa, & uniuersam notariatus artem hic effusam suspiceris. Reuerte igitur in uiam Lutheræ, & indulgentias non perinde inutiles, præsertim quibusdā, sine esse aliquid. Quod si in opinione semel concepta figis pedem, & Syluestri solenniissimi magistri nostri argutissimas ex Thoma distinctiōes discere renuis, nihil mirare combusta esse, quæ contra hunc uirum famosissimum scripsisti.

Nota.

In articulo uicesimo irreparabiliter laberis, ut qui cōtra magnifica bullarum promissa, seductiones quasdā imaginariis. Hæ enim cum salutaria omnia, imò compendio breui cœlum ipsum citra operam nostram polliceantur, ut audes affirmare nō salutare esse indulgentias, atq; ad fructum spiritus inutiles. Quem spiritum fingis Lutheræ? Non mittuntur indulgentiæ spiritua-

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

libus, sed carnalibus, quos si utcūq; solantur indulgentiā, ne desperent, nō salutare modo, sed ipsam salutem iure dixeris. Sed scio quid tecum mussites. O egregiū cōmentum inquires, Paulus dixit se spiritualia impertiri Christianis, & pro his metere carnalia. Sed Curia Romana pro carnalibus indulgentijs metit carnalia. Vbi ingenium est tuum Martine? Si Romana curia pro spiritualibus acciperet nostra temporalia, Simoniā pertraheret. Cum autem pro carnalibus carnalia det, permutatione sane perq; honesta, integrā se seruat Curia à Simoniaca labe, quam satis strennue fugit. Quod si aliquid quando uel de industria uel imprudens eandem incurrit, protinus medet morbo suo, uel plateæ alicuius transfertur, ubi multæ simul peccatorū Myriades atteruntur, uel salubri dispensatione in qua sic ualent Romana indulgentia, ut hac una e quouis scelere se euoluāt. Combustæ sunt ergo Lutheræ tua omnia.

Vicesimus primus articulus tota uia errat, quo dicitur solum & impatientibus necessarias dicis esse indulgentias. Non uides quanto quisq; religiosior, deoq; deuotior, eo est ad coemendas has gazas liberalior ac promptior.

Porro quod in uicesimosecundo articulo nimis superstitiose, ceu digito metiris hominum genera, quibus profint indulgentiæ, & amplissimos indulgentiarū fines in angustias deducis, & multis hominibus in hac sacra merce emacibus uiam præcludis multa merēdi, nō pro peccatis solum cōmissis, uerum etiam futuris. Multas mortes cōmeruisti. Quod si qui publicam salutem in Urbe impedit, uelut hostis patriæ proscribitur, quatuor remuneratione dignus es, qui tot hominū merita intercipis, atque interim demiraris, cur in ignem tua scripta sint proiecta?

In uicesimo tertio & uicesimo quarto articulis adeo
 es impudenter, imò inexpriabiliter lapsus, ut non tan-
 tum Romanam curiam, sed & omnes omnium episco-
 porum curias, officiales, uicarios, notarios, citationum
 artifices, pedellosq; in te concitaris. Nam si excōmuni-
 cationem gladium ecclesiæ spiritualem (ut Cyprianus
 uocat) esse externas tātum pœnas probaueris, diligen-
 dam potius q̄ timendam, ad famem extremam redegi-
 sti in Episcoporū curijs bonam scribarum partem, quæ
 ex huius gladij spiritualis tyrannide sruuissime regnāt
 egregie ditantur, diocœsibus formidabiles redduntur.
 Dum enim uulgus hominum ob excōmunicatio-
 nem qualencunq;, ecclesiæ suffragio destitutum se, &
 uelut ex Christianorū albo abrafum & expunctum, tes-
 nebrarum potestatibus dedi se arbitratur, oclusum re-
 pente cœlū, ut publicata excōmunicationis scheda fue-
 rit, apertam utranq; inferni ianuā, omnes dæmones in
 prædam iam inhiare, Cerberum dentes in excōmunica-
 tum exacuere, Charōtem subducto ad littus lyntaxe nau-
 lum expectare, nihil superesse aliud, quàm ut omnibus
 destituta hominum & cœlitum præsijs, infelix & excō-
 municata anima rapiatur ad Tartara, si modo Pluto
 ni quicquàm habere cōmerciij licebit cum excōmunica-
 to: dum inquam sic crasse imaginantur homines, Cen-
 turix scribarum, notariorū, citatorum, pedellorū, offi-
 cialium, procuratorum consistorialium probe ditātur,
 pinguescūt, marsupia conferciunt, & ex misere plebecu-
 læ miserijs felicissimam, mollem ac feriatam uitam cō-
 ficiunt. Qui igitur pinguiculos illos dominorū domi-
 nos partim uenerabiles, partim reuerendos e quietissi-
 ma tot honorum & titulorum sede exturbare in uitam
 inopem, & gloriæ expertem moliris, speras nihilomi-
 nus ueniam, & librorum tuorum incolumitatem?

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

Vicesimus quintus articulus hæreticissimus à Curia iudicatur, ignem prouocat, idq; si nullo alio nomine, saltē Vuickleffico, & Ioannis Turnacensis, quorū aliterum Constantia, alterū Parisiense Gymnasium damnauit. Adde quod non placet summo Pōtifici, ergo dā nandus & comburendus. Tenēt consequentia per locū minime infirmū ab auctoritate fratris patris Syluestri, non parui Theologi & grandis Iuristæ, ut patet in eius summa, Ille confidenter adstruit, Doctrinam Romanæ ecclesiæ esse regulā fidei infallibilē, à qua sacra scriptura robur accipiat, alioqui scilicet debilis & casura si displiuerit Papæ. quicquid igit̃ huic doctrinæ est aduersum est obliquum, & cōtra regulā fidei. ergo hereticū. Hunc autem articulū doctrinæ Romanæ aduersum, quis nō uidet? Cum Roma quotidie doceat diuino iure Monarchiā, & unum principatū in ecclesia necessariū, eaq; Romę esse, cui sentētienisi steteris, duceris & tu ad ignē. Quod si mihi Apostolorū humilitatē obieceris, et Christi uerba monentis, ne ambitiosi primos accubitus & summas sedes querant, ego confestim Pōtificio clypeo protectus, dicā, tibi nō esse auctoritatē scripturæ interpretandæ, sed soli Papæ, cum tu errare possis. Papa autem nunquā, nisi mentiantur, qui hæc scribunt, quod dicere nephas est.

Per locū ab auctoritate fratris patris Syluestri.

Nota.

Vicesimum sextum, septimum, & octauum articulos complicabo simul cōburendos, qua parte maxime crepat flamma. Siquidē Iurisdictionē Papæ longam, latam, & profundā cōtrahūt, atq; eū cuius Imperiū antea oceano & aramoz orbe, aut Democriti mundis terminabat, angustissimis finibus coercēt. Ius Pontificiū subruunt. Ex potentissimo Ecclesiarū totius orbis antistite & domino, sacrificulū pauperē & uelut Romanū quēdam Plebanū faciunt. Porro si ob crimen lesæ maiestatis

AD MARTINVM LVTHERV M,

tis Imperatoriae capitis poenā luit malefactor, quae tāto sceleri satis digna poena statueretur: Blasphemus enim es non tantum in Imperatorē, sed in eū qui & in spiritualibus & mundanis omnem sibi ditionē uendicat, uel iure uel iniuria. Nam illud à nobis iudicari nec potest nec debet, ne os in coelū ponere dicamur impij. Adde quod nota tibi esse debebāt illa, Tu es Petrus &c. id est, secundum Caietanū & Curtisanos, Quilibet Romanus Pontifex tibi successor, erit Ecclesiae basis, erit mundi dominus, plenissimā potestātē habebit ligādi & soluedi quicquid uoluerit, cū & sine pecunijs. Nec potest errare. quia quicquid fecerit, uolet rectū uideri omnibus. & si alijs errare uidebitur, eo ipso grauissime errabūt, cum nemo non sit infra eum, & potestate & doctrina. Nec potest labi, nisi labantur perfernarij eius. quod raro accidit, quia Heluetij quadrati proceri, & gigantae seligunt. Quod tamen ego mystice intelligo, quoniā perfernarij Papae sunt eius uoluntas & ratio, ab his portatur in rebus omnibus agendis. Ratio non cadit, quia ius omne habet in suo serinio, neq; labitur uolūtas, cum quicquid uelit papa, sanctitatē illud uelle dicāt, sanctitas autē nō errat, cum nec sanctus erret. Sanctitas autē cū abstractū sit, teste Iacobo Hochstrat de alta Platea, plus significat q̄ sanctus, nempe emphaticos ipsam sanctitatis ideam, quae nulla impuritatis mixtura polluitur.

Vicesimumnonum articulū ut nimis Boemicū flāmis iure optimo tradiderunt Zelosissimae Scholae Coloniensiu & Louaniensiu. Nam si auctoritati concilioꝝ detraxeris, atq; in tuam sententiā pertraxeris orbem, iā uacillabit articulus Concilij Constantiensis, quo decretum est, Papam iure diuino esse super omnes ecclesias. Hoc conciliū non expedit contemni à te. Quod autē fecus statuerunt olim Nicenum Concilium & Africā.

*Papa nō potest
labi, nisi laban-
tur perfernarij
eius.*

AD MARTINVM LVTHERV M,

num, nihil ad nos. Quandoquidē Concilium quod uoluntati Papæ in aliquo refragat, conciliabulū potius appellauerim. Et subscribet uniuersa Curia, omnes familiares Papæ, Copiistæ, Procuratores, Solllicitatores, Notarij, Stabularij, atq; innumeri alij, q̄ dominio Pōtificis stante, ex stercore eriguntur, & solium glorię tenent, qui paulo ante patienter asinorum fimo pro lecto usi sunt. Eadē ratione cadit in ignem articulus Trigessimus.

Trigesimus primus, & secundus iustissime arserunt, cum aduersus Magistros nostros sint, hos tu probas forte Paulinis uerbis. Qui spiritū Christi nō habet, hic nō est eius. quo loco tu forsitan eum qui nō est Christi, diaboli & peccati esse dices, & qui est peccati seruus, eū dices non facere nisi peccatū. Quid si aliquod tibi mediū commentus fuero, ille igitur erit seruus Papæ. Vide quā parum acutā habeas Dialecticā, quā frigide didiceris artē inueniendī mediū apud Aristotilē in libro Priorum. Nec uidisti pontē asinorū. Sed dabo tibi actū humanū qui nec est bonus nec malus. Creare uno die Triginta Cardinales, actus est humanus, quia ab homine Leone, uel alio Pōtifice fieri potest licite respectiue, neq; bonus est actus ille neq; malus, non bonus, cū nec sit de consilio, nec de præcepto Euāgelij, nec malus dici poterit, nō alia ratione, quā sæpe audita, quia fit à Pōtifice, quem ante probauimus errare non posse, etiam si uelit.

Tricesimus tertius ideo comburi debet, quod ignem timet male sibi conscius, ut taceā quā oscitanter hanc scripturam præterieris, Hæreticū de uita, quibus uerbis Magistri nostri persuadent Pontifici perpulchre, quid facere possit. Hæreticū scilicet hominem post unam aut alteram monitionem tollendum de uita, iam in potestate Pontificis est, ut supremi iudicis in terra, quo potissimè

Hæreticum de uita.

*Cur ignis suppli-
cio hæretici tol-
lantur e medio.*

num mortis genere uelit hæreticū e medio tollere. Et uisum est igne hæreticū tollere, eo quod hoc elemētum edacissimū sit, & protinus facinoris auctorē consumat. Nam sicut Romanus Pōtifex summū locum occupat, ita summū elementum tanquā summæ iniuriæ uindictam elegit. Ecce quanto ingenio, quàm magistraliter ego tibi singula inferam.

*Turca hostis uti-
lissimus ecclesiæ*

Tricesimūquartum articulum intolerabilem Vulcano tradidimus ut in utilē, non tam Christianæ ecclesiæ quàm Romanæ curiæ, cui Turca hostis utilissimus fuit aliquot seculis. Nam metu imminentis Turcæ à Barbaris Germanis, ut ebrijs possessoribus auferendū erat aurum, & asportandum Romā, ut Turcæ debellarentur. id est, ut lautius uiuerēt omnes qui bene uolūt Pōtifici prope campū florē. Nescis igitur incogitantissime Martine quot Ducatorum millia remoreris in Germania hac una propositione centies combustibili.

Tricesimumquintū atq; Sextum de libero arbitrio, ignē cōmeruisse nihil miraberis, si cogitaris cui displi- ceāt. Cui inquires? Scholasticis quibusdā uiris magnis, quibus non inutile fuit ad rem augendā docere populū non nihil, & propriæ uoluntati tribuere, sibi confidere, aliquod nobis esse *αυθαίετορ* opus, & quo ipsi magistralissime & formaliter aiunt gratiam primam mereri de congruo, cū facimus quod in nobis est, amouemus obicem. Nam cum audiuit populus liberi arbitrii hanc esse potestatem, ut ex bonis naturalibus citra donū gratiæ quodlibet peccatum mortale nouum cauere possit, cū efferrī audiuit libertatē contradictionis & contrarietatis, atq; nos diuina præcepta quod ad operis substantiam attinet uigore naturalium bonorū implere posse, & si non quantū ad intentionē domini præcipientis se curior sit, discit spem ponere in homine, & in proprijs

17

SIMONIS HESSI RESPONSIO.

ad sacramenta præparamentis laborat, atq; cõfítendi ne
gocium lucrosum reddit. Vides iam cur igne perierit
articulus ille tanta bona intercipientis.

De Trigesimoseptimo, octauo, nono, atq; quadrage
simo ignis sententia iuste lata est, cum de igne maxime
necessario grauiter errarint. Quæ enim tu sentis de pur
gatorio, & si quibusdam Theologis uera esse uideant,
offensiuæ tamen sunt, Romanarũ tum aurũ, tum Bul
larum. Ex Scholasticorum de animabus purgandis sen
tentia, egregios eleemosynarum aceros Roma à Chri
stianis extorsit. Nos si tu uel impedis augendos uel au
ctos, reddis suspectos populo, Curiam Romanã in ne
gotio ueniarum prodigo, maximo damno affeceris.

Vltimus articulus hæreticissimus ab igne defendi
non potest, etiam si uelit clemens esse Pontifex, adeo in
sanctos ordines magnas pictorum testimonio ecclesiæ
columnas peccasti. Causam liberationis quæreret Pila
tus aliquis. Verum Iudei urgent propositum & clamãt
Combure, combure, nulla igitur salus est reliqua Mar
tine. Si Pontifex Iudæorum uoluntati non obsequerẽ
hunc articulum comburendo, timendum esset imperio
Pontificio. Fauorem Iudæorum amittere nõ est tutum.
Id quod in casu Capnionis uidere est, quem absoluisset
Pontifex, quia nullam in eo causam inuenit iustæ dam
nationis. Verum clamant Monachi, semialbi, & semi
nigri. Si hunc absoluis, non es amicus ordinis, neq; nos
te aduersus Lutherum tui Imperij hostem atrocissimũ
iuuabimus. Si uero damnas, nos uicissim pro uiribus
clamando, machinando, calumniando, mentiendo, Lu
theri conatibus resistemus, tuam causam ui, dolo, frau
de per fas & nephas tutabimur strenue. Defende nostrã
mendicitatem LEO, nos defendemus tuam iurisditio
nem, si nos non seruas, conuiuebimus, & tuam cla

*Ordines sunt eo
lumnæ ecclesiæ
secundum picto
res.*

Combure.

*Nota de Ruch
lino.*

dem. Sic Luthere caussas audiuisti ab Hesso tuo, quare
 Colonienses & Louanienses cremarint libros tuos ob
 articulos quosdā prefatos. Iam & querere passim iniuriam
 tibi factam, & gloriare de uictoria. Iacta Triumphos
 anteq̄ hostis deuictus herbā porrexerit. Putabas forte
 neminem esse, uel ingenio uel animo tantum, qui tuo
 exemplo, caussas referret combustorū articulorū.
 Quiesce igitur, Romam lauda, Pontificis potestatem
 tuere, & accipies quadringentos Ducatos, aut mille for
 tasse, Viaticū minime pœnitendum. Inepte agis, qui
 solus iā in orbe sapere cupis, Theologis omnibus tacē
 tibus, & quieti suę probe cōsulētibus, tu unus tibi has
 Tragœdias mouisti. Sed iam uerborū satis. Rationes
 nostræ si tibi elumbes & inefficaciores uidebuntur, au
 principiū petere, nō protinus oblatra, nā in frequētissi
 ma caupona inter temulentos sedēti, nihil aliud uenie
 bat in mentem. Cum in secessum uenero, collectis iam
 tum sensibus, quos computationes Brisgoicæ di
 sperferant, robustiora afferam pro Curia in
 geniosissima. Tu interim his conten
 tus, humeros ad pugnam parato,
 & Vale. Ex Zeringen Pa
 go Brisgauriē vi. Ianua
 rij. Anno. M. D.
 XXI.



